

Ano de illa insinuatione quod exploratores essent nihil diceretur. Quod vtrum consulo tacitum sit, an & id fecerit perturbationis obliuio, non apparet. Nā & illud quod dixerunt se ab ipso Ioseph interrogatos de patre & fratre suo, se autem illa interroganti indicasse: mirum si vel ad sententiam potest ista peruenire narratio, vt eam constet esse veracem: quanquā & si aliqua falsa in ea sunt, falli potius per obliuionē potuit quam auderet mentiri: apud eum præsertim cum non sicut nescienti, sed etiam illa quæ nouerat cum scire ad descendendam eius misericordiam narrationi suæ inferebat. Quid est quod dicit Ioseph, **Gen. 45.** Misi enim me deus ante vos, remanere vestrum reliquias super terram, & emigrare vestrum reliquias: mirum est: hoc enim non vsquequaque consonat, vt reliquias accipiamus Iacob & filios eius, cum omnes sint incolomes. An forte illud significat alto fecerit quod mysterio quod ait Apostolus, Reliquiæ per electionem gratiæ salutæ factæ sunt. Quia Propheta prædixerat, Et si fuerit numerus filiorum Israël sicut arena maris, reliquæ salutæ fient. Ad hoc enim occisus est Christus à Iudæis, & traditus gentibus tanquam Ioseph Aegyptijs à fratribus, vt & reliquæ Israël salutæ fierent. Vnde dicit Apostolus, Nam & ego Israëlita sum, vt & plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël salutis fieret, id est, ex reliquijs Israël secundum carnem, & plenitudinem gentium quæ in fide Christi secundum spiritum sunt Israël. Aut si & genti illi Israëlita restat fidei plenitudo, ex qua erant reliquæ in quibus reliquijs tūc & Apostoli salutis facti sunt, hoc significatur ea plenitudine liberationis Israël, qua per Moysen ex Aegypto liberati sunt. **CXLIX.** Intrauit in Aegyptum Iacob & omne semen eius, filij & filij filiorum eius, filix & filix filiarum eius cum eo. Quærendum quomodo dicat filias & filias filiarum eius, cum filiam vnā legatur habuisse. Superius autem filias eius dixeramus accipi posse nepotes eius, sicut filij Israël omnes dicuntur etiam vniuersus populus ab illo propagatus. Sed nunc cum dicit, filias filiarum, propter vnā Dinā pluralis numerus pro singulari positus est, sicut etiā pro plurali singularis solet, nisi nurus eius quisque asserat filias eius potuisse appellari. Quod dicit scriptura tot animas peperisse Liam, vel tot aut tot animas exiisse de femoribus Iacob: videndum est quid hinc respondeatur eis qui hoc testimonio confirmare nituntur à parentibus simul animas cum corporibus propagari. Animas enim dictas pro hominibus, à parte totum significante locutione, nullus ambigit. Sed quomodo ipsam partem ex qua totum commemoratum est, hoc est animam, cuius nomine totus homo significatus est, alienemus ab eo quod dictum est, exierunt de femoribus eius, vt carnes tantum ex illo natas, quanuis solæ animæ nominentur, accipiamus, quærendi sunt locutionum modi secundum scripturas. Hi filij Liæ quos peperit ipsi Iacob in Mesopotamia Syriæ, & Dinam filiam eius, omnes animæ filij & filix eius trigintatres: Nunquid istæ omnes trigintatres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt? Sed vtique filij & vna filia ex quibus nepotes commemoratæ sunt. Si ergo de vno Benjamin quæstio nata fuerat, quando numeratis duodecim filijs Iacob & nominatim commemoratis dictum est, hi filij Iacob qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ: quanto maior nunc quæstio est, quomodo trigintatres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt: nisi quia illa locutio confirmatur, tanquam ibi omnes ortæ sint, quorū parentes ibi orti sunt. Deinde & illud iam non dubiū est, in vna filia filias nominari, plurali numero pro singulari posito. Qd legitur sexaginta sex animas intrasse cū Iacob in Aegyptum, exceptis videlicet filio Tomus quartus.

lijs Ioseph, & deinde illis annueratis infertur, **Gen. 46.** Septuagintaque anime erant cum quibus Iacob intrauit in Aegyptum: sic accipiendum est, qui erant in domo Iacob quando intrauit in Aegyptum. Nā vtique quos ibi inuenit, non cum eis intrauit. Sed quoniam diligentius discussa veritate reperiuntur duo nati iam fuisse cum intrauit, Effrem & Manasses, quod non solum hoc loco Hebræi codices habere dicuntur, verum etiam ipsa septuaginta interpretatio in Exodo declarat, nec septuaginta interpretes mihi in hoc videntur errasse: qui propter aliquā mysticam significationem quadam velut Prophetica libertate hunc numerum complere voluerunt, si adhuc viuente Iacob illi ex duobus filijs Manasse & Effrem propagati sunt, quos eidem numero domus Iacob aggregandos iudicauerunt. Sed qua inuenitur Iacob decem & septem annos vixisse in Aegypto, quomodo potuerunt filij Ioseph illo viuo etiam nepotes habere, non inuenitur. Ingressus est enim Aegyptum Iacob secundo anno famis, nati sunt autem filij Ioseph in annis abundantiæ. Quibuslibet annis vber tatis nati existimetur, à primo anno vber tatis vsque ad secundum annum famis, quo ingressus est Iacob in Aegyptum, nouem anni sunt, huc additis decem & septem quibus ibi vixit Iacob, viginti sex anni reperiuntur. Quomodo ergo minus quæ viginti & sex annorum iuuenes etiam nepotes habere potuerunt? Sed neque vlla Hebraica veritate ista soluitur quæstio. Quemadmodum autem impleri potuit, vt tot nepotes susciperet Iacob antequam intraret in Aegyptum, etiā de Benjamin qui illa ætate venit ad fratrem? Non solum scriptura filios eum habuisse commemorat, sed & nepotes & pronepotē, qui omnes adnumerantur sexaginta sex hominibus, cum quibus Iacob in Aegyptum, etiam secundum Hebraicam veritatem perhibetur intrasse. Videndum est etiam quid sibi velit, quod cum Ioseph & filij eius non amplius quam octo commemorantur: Benjamin vero & eius filij simul vndecim reperiuntur, non decem & nouem omnes sicut sunt octo & vndecim, sed decem & octo referantur in summam, & postea Ioseph cum filijs suis, non animæ octo, sed nouem fuisse dicantur, cum octo inueniantur. Hæc omnia quæ indissolubilia videntur magnam continent sine dubitatione rationem, sed nescio vtrum possint cuncta ad literam conuenire, præcipue in numeris quos in scripturis esse sacratissimos & mysteriorum plenissimos ex quibusdam quos inde nosse potuimus dignissime credimus. Commendatur in Patriarchis, quod pecorum nutritores erant à pueritia sua & à parentibus suis. Et merito, nam hæc est sine vlla dubitatione iusta seruitus & iusta dominatio, cū pecora homini seruiunt & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum est cum crearetur, **Gen. 1.** Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris & volatilium cæli, & omnium pecorum quæ sunt super terram. Vbi insinuat rationem debere dominari irrationabili vitæ. Seruum autem hominem homini, vel iniquitas vel aduersitas dominari fecit. Iniquitas quidem sicut dictum est, **Gen. 9.** Maledictus Chanaan, erit seruus fratribus suis. Aduersitas vero, sicut accidit ipsi Ioseph, vt venditus à fratribus seruus alienigenæ fieret. Itaque primos seruos quibus hoc nomen in Latina lingua inditū est, bella fecerūt. Qui enim homo ab homine superatus iure belli posset occidi, qua seruus est seruus appellatus: inde & mancipia, quia mancipia capta sunt. Est enim ordo naturalis in hominibus, vt seruiant feminæ viris & filij parentibus: quia & illic iustitia est hæc, vt infirmior ratio seruiat fortiori. Hæc igitur in dominationibus & seruitutibus clara iustitia est, vt qui excellit ratione, excellat dominatione.